

sed exhibe iudicem meum! Pro deum atque hominum fidem!  
in qua civitate raptor solutus est, in ea rapta vincitur?

### **XXXV. Mater et noverca invicem reae**

Repudiata est a marito quae filium habebat. petit assidue, ut reconciliaretur. non impetravit. postremo ait: „vindicabo me.“<sup>5</sup> superduxit ille puero novercam. obiit puer signis ambiguis cruditatis et veneni. reas se invicem faciunt repudiata mater et noverca superducta.

Totum noverca commisit, quae uno tempore et maritum miserae praeripuit et filium. Comparete, iudices, non ante rerum argumenta quam nomina. quid matri deliquerat filius?  
neque enim temere sic filius de levi causa quasi privignus occiditur. „Repudiata es“ inquit; mariti haec culpa, non filii est, nec matris officium repudio deponitur, sed uxorium nomen amittitur. Dolor orbitatis conscientia facinoris augetur, et, si<sup>10</sup> grave est amittere filios, longe gravius occidere. Nonne hoc dicit: „sola dominabor, cum et hic veneno meo perierit et illa mendacio“? Iudicasti, pater, qui et repudiata non accusando absolvisti et uxorem novam non defendendo damnasti.<sup>15</sup>

### **XXXVI. Speciosus desertor**

20

*Desertor duci serviat. Viro forti praemium. Pauper et dives inimici. dives creatus est imperator. pauper sub illo cum filio*